

Embedded Reading

Cornelia

Versio III

Cornelia **bona et proba** femina Romana fuit, **quae** duos habuit filios, **quorum** alteri Tiberius, alteri Gaius nomina erant. **Filios Cornelia valde amabat, atque ab iis amabatur.**

Olim **femina Romana, nomine** Tullia, Corneliam visit, **cupida ornamenta sua ostendendi; quae, superbe monstrans gemmas, quas in digitis et in collo gerebat,** „Multas“ inquit „**novas et pulchras** gemmas habeo, **quae me valde delectant:** specta! Aspice **hos** anulos, **has** lineas margaritarum, **has** gemmas **pretiosas,** quas mihi vir meus magna pecunia emit. Quam pulchra **sunt haec** ornamenta! Nonne te delectant hae gemmae?”

Cornelia **vero quae tam superba verba audiendo non laetabatur, gemmas aspiciens** respondit: „**Ita est,** o Tullia: mihi **enim** pulchrae videntur esse gemmae, **quas maritus tuus tibi emit: certe ille valde te amat.** Ego quoque **tamen pulchras** gemmas habeo.“ „**Ain' vero?**“ ait Tullia, „O mea Cornelia, ostende mihi **pulchras has** gemmas tuas! **Studiosissima enim sum eas aspiciendi!**“

Cornelia **igitur surgens** vocat: „O filii, venite huc!“ Tiberius et Gaius, **matris voce audita, accurrentes in atrium** intrant. **Quos Cornelia digito monstrans,** „Ecce“ inquit, „gemmae meae: **filiis enim mei ornamenta mea sunt: nullas alias gemmas cupio.**“